

discretum uirum ser Nicolam ser Theodosii ciuem Spalatensem, ibidem presentem ac mandatum infrascriptum sponte subscipientem, eorum et dicti communis et hominum et uniuersitatis dicte ciuitatis Spaleti uerum et legitimum syndicum, procuratorem, actorem, factorem et certum nuncium specialem, uel si quo alio nomine de iure dici potest melius uel censeri, specialiter ad eundum quo ad infrascripta necesse fuerit, ad fideiubendum et ydoneam fideiussionem et plecariam prestandum, nobilibus et prudentibus uiris dominis Nicolao de Priolis et Nicolao Pisiani prouisoribus ducalis dominii Veneçiarum ad partes Sclauonie destinatis, uice et nomine dicti ducalis dominii Veneçiarum recipientibus uel cui aut quibus comissum fuerit per dictum ducale dominium, pro magnifico et potenti uiro domino comite Nelipcio de Tinino de libris mille et quingentis uenetorum paruorum pro pace tractata et facta inter ipsum ducale dominium et prefatum comitem Nelipciū ob discordiam et guerram dudum ortam inter predictum comitem Nelipciū et comune et homines Sibinici, uel quacumque alia de causa, et ad obligandum bona communis et uniuersitatis dicte ciuitatis Spaleti, occasionibus predictis, cum omnibus obligationibus, promissionibus, penarum adiectionibus circha predicta et ab eisdem dependencia penitus opportunis, et nichilominus ad recipiendum a prefato comite Nelipcio cartam et securitatem per publicum instrumentum de conseruando indempne dictum comune Spaleti et homines ac uniuersitates ciuitatis eiusdem ab omni dampno, interesse, grauamine et expensis que uerterentur quoquo modo eisdem occasionibus supradictis et cum omnibus capitulis et sollepnitatibus ad omnia et singula supradicta et ab eisdem dependencia et conexa necessariis et opportunis ex nunc pro nominatis habitis et expressis. Et generaliter ad omnia alia et syngula facienda, gerenda, promictenda, obliganda et recipienda que in predictis omnibus et syngulis et ab eisdem dependentibus et conexis et prorsus extraneis fuerint necessaria et opportuna, et que quilibet uerus et legitimus syndicus, procurator, actor, factor et nuncius specialis facere et exercere posset ac si ipsimet constituentes personaliter interessent, dantes et concedentes syndico et procuratori eorum prefato in predictis omnibus et quilibet predictorum plenum et generale atque speciale mandatum cum plena et generali ac speciali administratione ac etiam potestate, promicentes se ratum, gratum et firmum habere perpetuo totum et quicquid per prefatum eorum syndicum et procuratorem, promissum, obligatum, fideiussum, receptum, factum et gestum fuerit in predictis omnibus et syngulis et quilibet predictorum, sub ypoteca et obligatione omnium bonorum dicti communis ac uniuer- sitatis dicte ciuitatis Spaleti, uolentesque sepeditum eorum syndicum et procuratorem ab omni onere satisdationis releuare fideiubendo pro eo